

atque constantia, quam aut falsum sentire, aut, quod non satis explorete perceptum sit, et cognitum, sine ulla dubitatione defendere. Velut in hac quaestione, plerique (quod maxime veri simile est, et quo omnes duce natura venimus), deos esse dixerunt; dubitare se Protagoras, nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaeicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit enumerare sententias. Nam et de figuris deorum, et de locis atque sedibus et actione vitae multa dicuntur; deque his summa philosophorum dissensione certatur: quod vero maxime rem causamque continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent, an contra ab his et a principio omnia facta et constituta sint, et ad infinitum tempus regantur atque moveantur, imprimis magna dissensio est; eaque nisi dijudicetur, in summo errore necesse est homines, atque in maximarum rerum ignorance versari. Sunt enim philosophi, et fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem deos. Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? Haec enim omnia pure atque caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, et si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque possunt nos juvare, neque volunt, nec omnino curant, nec, quid agamus, animadvertunt; nec est, quod ab his ad hominum vitam permanere possit: quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest; cum qua simul et sanctitatem, et religionem tolli necesse est; quibus sublatis, perturbatio vitae sequitur, et magna confusio. Atque haud scio, an, pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas generis humani, et una excellentissima virtus, justitia, tollatur. Sunt autem alii philosophi, et h